DIORISMVS
VERÆ PHILOSOPHIÆ DE MATERIA PRIMA LAPIDIS.

Authore D. IOANNE de CHASTELET Barone de Beauſoleil, &c.



BITERRIS,
Apud IOANNEM MARTELLVM, Typograph. & Bibliopol.
M. DC. XXVII.



DE MATERIA PRIMA PROPOSITIO.

Artifex nequit introducere formam ſubſtantialem.

NOnnulli interpretantur id quaſi diceretur, de formis animalium, & vegetabilium duntaxat: quod eæ ſcilicet, non ſtent ſubiectæ arbitrio noſtro: eo quod præter materiam, requiratur viuentis determinata figuratio.

ALij putant, quod etſi in vegetabilibus & animalibus, artifex nequeat imitari naturá, ob præſuppoſitionem figuræ, organi, & animæ in metallis tamen id poſſit omnino. eò quòd ibidem nullum putent inhabitare ſemen, nullumque rectorem aſſiſtere: ſed eſſe ſolam materialem ſyndromem qualitatum, & nudam elementorum temperiem, vapore tenus commiſtorum. quæ idcirco ex quibuſlibet ſimplicibus, in temperamentum elementorum conſimile perductis, haberi æſtimant indifferentem.

ALiqui denique volunt ſubaudiri formam ipſam, id eſt, actum ſubſtantialem, & entele-

cheiam compositi. & hi chymiam ex pleno tollunt. quod putent, nulli artificio subiectam esse formam.

IMprimis certum est, hominem, neque per artem, neque per naturam, aliquid creare (Solius nempè Dei est, qui solus formas substantiales ex nihilo condit) sed esse agens externum, ideoque tantum occasionaliter, applicando actiua passiuis quicquam extra se producere.

HOc modo sumendo artificis actiuitatē, certum esto, quod artifex queat introducere, & inducere formam substantialem; substratam scilicet, & accommoda-

tam materiam, debitè diſponendo, proportionando, adornando fouendo, & in ſummâ, actiua paſſiuis copulando. Imo vſque adeo quit præſcire terminum generationis, & aduenturæ formæ quidditatem. adeoque ſic ſumendo, erit propoſitio falſa.

SCilicet ex vitulo, per artem apes generantur, ex melle ex rore anguillæ, ex palea mures &c. præexiſtente ſcilicet materia diſpoſita artifex eandem promouet, donec Creator formam ſubſtantialem influat. Similiter habito totali ſemine tam vegetabilium quàm animalium, conſtat homunculum, inſecta, aues, piſces arte tenus produci, item animalia, re-

ciproco recurſu, inuicem tranſmutari vt gobio in apes: anas in ranas: ciconia in ſerpentes: anguilla in lampetras &c. per artem tranſmutantur. Imo quæ alioqui ſolius naturæ ductu, nunquam contingerent. ouum ſcilicet putreret citius, quam quod ſine fotu externo Artificis, per ſe, in pullum fatiſceret. Quibus primam interpretationem falſitatis conuincimus.

ALteram ſimiliter reijcimus. In quantum ſtatuit inter mineralia, ex quolibet fieri poſſe quid libet, & ex vegetabilibus, artificio quodam, fieri metalla, & (quod magis arduum eſt) electione noſtra, determinata. Item, & in

quãtum rectorem internum, & semẽ metallicum negligit, adeoque secũda interpretatione, propositio nedum falsa erit: sed & impossibile includet. Videlicet cum homo nil aliud queat, quam applicare actiua passiuis, separare scorias indè emergentes, iuxta & fouere, calore externo, actiuitatem inceptam: Sequeretur, quod subdicta interpretatione. homo per imaginationem, aut externo suo adiumento, possit introducere ad libitum suum, formam quamcunque. adeoque non ex determinato, determinatum, sed quidlibet ad nutum nasceretur.

RESpexerunt, Sapientes in propositione, eos, qui ex primis

quatuor

quatuor elementis, aut indebita materia, lapidem fabricare annitebantur. dicentes idcirco, vanum laborem artificis, quotiescunque non assumeret materiam, à natura præparatam, & quidem taliter, quod ipsi inhabitaret verus opifex, seminalis Archeus, quem proinde formam substantialem, tanquam causam pro effectu denominarunt.

REspexerunt inquam Philosophi, Aristotelis ignorantiam, qui Archeum non agnoscens, putauit fictitiæ materiæ hyle, inhabitare dispositionem materialem (quam eius potentiam nominat) ad omnes & quaslibet formas, adeoque formam essentialem, in-

de gradatim deduci ratus eſt. Cauſam nimirum efficientem omnem, externam putauit: atque ideo efficientem Archeum internum, & ſeminalem illum ſpiritum, penitus in generationibus rerum, cauſiſque naturalibus neglexit, omiſit. vſque adeo erroris anſam aſſeclis præbens, qui artificio ſuo, fotus, & ſua intentione, putarunt rem vnamquamque determinare: & in hyle ſua eorum, producere diſpoſitiones materiales, ad nutum ſuum, vnde tandem intenta forma, neceſſario affluat.

PHiloſophi igitur in propoſitione, Sub nomine formæ ſubſtantialis, non aliud voluerunt, quam Archeum ſeminalem.

Quia ſcientia habet non errantem, qua fines, modos, figuras, proportiones, & omnes proprietates ſpecificas, nouit, ac iuſte architectatur.

HVnc nempè Archeum, Artifex nequit vllatenus introducere, aut mutare ad libitum: deſtruere quidem poteſt. Hinc vetitum, ne qua admiſtio rei extraneę, & quæ non ſit de intentione naturæ, cum materia ex qua, lapidis, fiat. Imo ignis feruor nimius ſtrictè interdicitur, ne germen, id eſt, Archeus, comburatur.

Vbi igitur deficit Archeus, vbi forma eſſentialis Archei comes, eſt diuerſa in ſimplicibus,

ibi quoque omnes proprietates essentiam consequentes, sunt necessario diuersæ; cum sint formarum effectus, indicia, pedissequæ & organa.

IGitur, cum forma, vltimatè in generationem superueniés, presupponat dispositiones determinatas in materia; sintque eæ, venturæ formæ satellites; necesse est, easdem habitare (si præexistant in subiecto, prout ipsum necesse est) in quodam formæ substantialis præexistente precone, Vicario. Id est Archeo, qui cum sit principalis generator, generationisque totius opifex: necesse est, in specie differentibus subiectis, existere quoque specie differentem Ar-

cheum. Eum idem manens idem, ſemper natum ſit producere idem, & non alienum. Quod axioma tantum de Archeo ſubauditur. Siquidem forma generantis, nil generat, cum ſit externa generato. neque enim animæ, animas generant.

NOn enim malus, roſas fert, niſi inſititias ac ſpurias. *Herba enim virens, adferat ſemen, & fructum, iuxta naturam ſuam*, & non alienam vel adulteram. vetatque ideo Deus, variorum animalium commiſtionem.

Igitur, Deo horrida monſtra generabunt, quotquot, diuerſa ſpecie ſubiecta connectauit, vt-

cunque fermentatione, vnitatem mentiantur. Imo incassum laborant, qui materiam alibi venantur, quam è rebus in quibus est per naturam. Quippe formam substantialem siue Archeum, Artifex nec condere nec introducere potest.

DEnique etsi possibile foret, naturam, extra germen, & naturam suam, proficere: Attamen quia esset ad longinquius ire, & præterire propinquum, actus agerent.

METallico itaque principio opus habemus, & non alio & quanquam in singulis, hoc principium insit; & hactenus in cun-

ctis ars sit possibilis. proxime tamen in mercurij metallici hospitio habitat. non tamen ex mercurio solo operandum. siquidem metalla non disponuntur per se & solo igne sufficienter, vt germen illud edant quod intus latet & sub quo Archeus clauditur.

NEc sufficit Mercurius metallicus, licet propinquissimum artis subiectum, nisi simul adsit compar suum. Idcirco sumenda est materia supra terram, ex qua infra, natura paululum operata est. Id est, materia quæ in se habeat sulfur, & arg. viuum solaria. in quibus nimirum Archeus ad solem accinctus, insit. cum homo nequeat introducere Archeum, ne-

que actu elicere ex re quod in ea non eſt potentia.

HVic iubemur ire ad fodinas, non quidem vt naturæ operationem (quæ nimis lenta & ſecreta eſt) obſeruemus, & imitemur : ſed duntaxat vt materiam propinquam & idoneam inde deſumamus.

AVrum, finis naturæ metallicæ vltimus tempore, digeſtione & intentione, non enim ex auro, deinceps quicquam efficere intendit. ergo in auro, effoeta, & elaborata propemodum eſt vis Archei, iam velut ſeneſcentis. Sumenda eſt ideo minera cruda, & viridis adhuc. Id enim vinum

appel-

appellant laurum ac merito eſt. ſuadentque idcirco deſumendum Virgineum, non vnde nobilium vaſa cuduntur, non denique quod ignem vnquam, aut artificis manum explorauerit.

SI itaque aurum reſoluatur in pinguedinem, in vitriolum, in butyrum tincturam imo in Mercurium & ſulfur. neceſſario languidus & fere exoletus Archeus ſenilis inde deprometuri. vnde non niſi debilem foetum expectare conuenit, nec proiectionem peculioſam: ſed talem duntaxat, quæ corporis deſtructi, compenſationem, ſine propagationis foecundo foenore, dederit. Quia nempe Archeus in auri

generatione ad finem destinationis suæ, iam decurrit. nec profecto ad vlteriorem perfectionis gradum fatiscente vita Archei, aurum laborum tædio vnquam proficiet.

NEc refert vegetabilium ramulos, subinde edere Archeum propagationis studio incumbentem, quoniam alia est vegetabilium generatio, & multiplicatio, quam quod eam metalla ad amussim referant. In vnoquoque regno scilicet, alius fuit generationis vt vsus : ita processus vegetabilia namque sine satoris auxilio, sola humectatione, sponte plærunque germinant. & cæpæ tabularis pendulæ, per se prosiliunt. At metallicæ procreationis,

non eadem fuit neceſſitas, non eadem lex. Atque idcirco, Sacra habent, non quod vnaquæque herba proferret ſemen (ſic nempe & metallum protuliſſet ſemen, quia herba eſt ſui regni) ſed vnaquæque herba virens. Vnde liquet & metallum vireſcens, nondum repagulis coagulationis concluſum, nondumque ad ſtadium deſtinationis deuentum, ſemen etiam proferre. Quod benignitate Creatoris, Soli Artifici, non autem naturæ ſubſtratum eſt. vt ex inde videlicet, ſubductis fecibus, metallici inquinamenti occaſionibus, ſemen illud ſoſpes nanciſcamur, vnde tandem queamus ſeminare, non per longam diſpoſitionum alternantium ſeriem, tædioſam-

que patientiam, ſed in ictu oculi plantam proferre ad ſimilitudinem, Archei illius, vnde dimanauit.

VAnum quoque intēdunt plurimi. per fermentationem nimirum, res alienas, auri reſoluti imperio ſubditas, in metallicæ, indolem tranſplantari poſſe. Vtpote fermentum, nil ſubſtantiale generat, quod antea non fuit: ſed ſolam introducit alterationem & diſpoſitionem, accidētalem: eamque nondum in quæuis ſubiecta, ſed duntaxat in habentia ſymbolum. Sic quidem fermentum, farinam fermentat, & in fermentum mutat, quod non eſt extra ſpeciem ſuam, nec item idem fer-

mentum, animalia, lapides, ac metalla fermentat.

AT ſi ex vegetabilibus naturam animalem, & ex vtraque naturam mineralem, ſubinde ſibi fabricet natura: non id ſanè per fermentationem, tanquam tranſmutationis formalis effectricem, ſed per veram generationem ſubſtantialem, efficit. In qua prorſus neceſſe eſt priorem Archeum, virtute, & idæa formali prius exui, per inferioris harmoniæ diſſolutionem, vel prioris Archei expoliationem (duo namque rectores, in eodem ſubiecto, ſe minimè compatiuntur) Archeus etenim exoleſcens, cum ad finem laborum, & deſtinationis peruenerit,

vlteriore ſcientia regendi, duratione, & deſtinatione deſtituitur, & nudum fit, ſimul cum mole corporea, cui præſiduit, noui Archei ſubſterniculum, in nutritionis, generationiſque nouæ cuiuſuis lithurgia, neceſſarium.

AT quia nobis ignotæ ac inuiſibiles formarum ſubſtantialium eſſentiæ, idcirco per ipſarum proprietates. Archeicas ſimiles, formarum identitatem, ſimilitudinem, abſentiam, præſentiam, & nomina, conijcimus. Nec licet vllatenus ex malleabilitate & ductibilitate, dimetiri formam & eſſentiam metallicam. Sunt namque nimis materiales determinationes, ad formæ vel definitionis

essentialis constitutionem prorsus impropriæ. Adesse etenim & abesse possunt, citra subiecti corruptionem. Quinimo ipse lapis gloriosus, (forma informans aureitatis) totus est inmalleabilis, imo aurum, priùs ad mallei ictum extensibile, frangibile, atque friabile facit, si in medicinam ipsum conuertat. Itaque ab interioribus potestatibus vitalibus, id est, ab Archeo formæ, formam dimetimur.

SApientes itaque semper fermentum specificę vnitatis cum fermentabili voluerunt, & inepta diuersarum specierum fermenta hoc pacto quoque, mercurio adnatum est compar sulfur. vnde la-

pis, vaporabili artificio, in aëre commixtus, tandem ſeipſum blando calore diſſoluit, & poſtremo fermentat. & quamuis ſubinde corpora Solis aut Lunæ, dicantur fermenta impropriè id nempè dictũ eſt, & ad hoc ſcilicet, vt prima proiectio inſtituatur, ſupra aurum & argentum: quò ſcilicet, omnem omnimodam, metallicam, vltimatamque proprietatem, nanciſcatur metallum, quod per proiectionem tranſmutandum eſt. vt vt eſt, ſiue aurum, ſiue ens auri primum, ſiue Mercurius Philoſophicus, vel eius ſulfur, vel elixir, fermentum dixeris. idem eſt. & eiuſdem ſpeciei ſubiectum, ab eodem ad idem recurſus & reſpectus vniformis, perpetuus & vniuocus.

Quim

QVinetiam custoditur fermentandi lex interrupta minimè, quæ vt neque ad genere diuersa protenditur, ita neque permittit fermentum vllam generationem aut nutritionem veri nominis (tametsi appositionem nouæ materię complectatur & incrementum) comprehendere prorsus. cum non sit transsubstantiatio inter fermentandum, nec progressus à non ente, ad ens: sed ab ente, ad ens, non quidem formalis, sed accidentalis perfectionis, aut inferioris qualitatis alteratiuę participatio duntaxat.

COlligimus itaque si fermentum sit de natura auri: & fermentabile quoque debere esse.

ITem si lapis, seipsum dissoluat, coagulet, fermentetque, ac varijs colorum signaturis adornet, ipsum vtique debere viuere, scientia quoque Archeica vitali dotatum, si iam dicta munia ordine quodam, & non præpostere explicet. denique si iusto acriore igne torreatur, rubedo ante nigredinem, aduerso ordine emergat, nobis in testimonium, Archeum tenerum, & viridem surculum esse, non autem auri completum caudicem.

DEcoctionem autem eiusmodi volumus, quæ naturam excitet, & promoueat. qualiscunque vero fuerit ignis, modo sub custodia formæ substantialis, siue recto-

ris Archei conſeruatione incedamus, perinde cenſemus. Seminali nanque ente per ignem, aut alienæ rei permixtionem, ſemel violato, omnis ſpes laboris deinceps intercidit damno irreparabili.

CONcludimus tandem, materiam à natura factam, Artifici ſubſtratam vnde incipiat, & taliter quoque ab eadem præparatam, vt omnia intra ſe contineat, quibus opus habet, fruſtraque exterius adminiculum excitatum iri, niſi intus vitalis moderator ſpiritus ſeminalis aſſiſtat fidus comes. Hanc itaque materiam, Artifex elaborat, ex ea ſeparando ſordes in opere primæ præparationis, idque per diuiſionem materiæ in

duas ſphæras, & multiplicem contritionum reiterationem quæ lauet igne, & ſucceſſiue per aquam comburat diuiſa ac depurata, poſtremo reconnectit inſeparabili thoro; excluſo peregrino quouis hoſpite, eidemque nil addendo aut detrahendo, fouet tepore iuſto in ſcenæ finem vſque.

NEc poſſe eſſe niſi vnicum naturæ creatum, in quo proximè ſit requiſitus Archeus viridis & fertilis. quod vt varijs nominibus contegunt, ita vnitate & identitate Archei dicunt poſſe peruenire ad veram illius cognitionem.



FINIS.